

Labores suos aestivos indicit iisque observationes aliquot anatomicas, aliaque praemittit, dictu certe necessaria / [Johann Jacob Huber].

Contributors

Huber, Johann Jacob, 1707-1778.

Publication/Creation

Cassellis : H. Schmiedt, [1760]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k5xqtc9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JOH. JAC. HUBER, D.

ANAT. ET CHIRURG. PROF. SEREN. LANDGR. HASS. CONSILIAR. AU-
LIC. ET ARCHIATER, AULAE BAD. DURLAC. MEDICUS, FACUL-
TAT. MED. PATRIAE, QUAE BASILEAE EST, COLLEGA,
ACAD. CAESAR. NAT. CURIOSOR. REG. LON-
DIN. SOCIET. SCIENT. ATQUE HEL-
VETICAE SODALIS.


LABORES SUOS AESTIVOS
INDICIT

IIISQUE

OBSERVATIONES ALIQUOT ANATOMICAS,

ALIAQUE PRAEMITTIT,

DICTU CERTE NECESSARIA,



CASSELLIS,
TYPIS HENRICI SCHMIEDT, TYPOGR. AUL.



Seria illius temporis cogitatio, quo per otium
necessarium transacti sunt dies, menses adeo
atque anni, quo praeclusum quasi me sentirem
a palaestra mea, ab Auditorio Carolino, ac
remotum a functione publica, ibi praestanda, excitavit
animum meum ad invitatorium programma exaran-
dum, ne solennis desit nostris hominibus excitatio ad
inchoandos novos labores, post feriatos nimium mul-
tos, nostra ut sine culpa, ita non sine dolore, dies, tem-
pora. Necessarium, inquam, videbatur, ut classico ve-
lut quodam musarum novi invitentur & convocentur
chirurgiae filii: ablati cum fuerint ab impetuoso belli
fluctu plerique & dispersi. Quos enim alumnos habuit
seminarium nostrum, ii in militantium auxilium abducti
sunt, cohortibus vel ambulatoriis nosocomiis admoti
omnes, etiam qui ipsi sentirent, quam indigerent ad-
huc praeceptis artis salutaribus. Sed hi quoque sin mi-
nus gaudendi, solatii certe materiem nobis suggessere,
quando fundatae utcunque spei signa intelleximus, de
A prae-

praestantia atque utilitate studii hujus per ipsorum quosdam vindicata. Haec ipsa opinio concepta de seminario nostro chirurgico fecit, ut ipsi quoque tirones sint abducti, non sine vi militum, ut solatii sibi essent atque auxilio.

Hinc solitudo nostra. Scilicet non solis nobis querendum de bello est, cum, proh dolor, nulla fere germaniae, ne Europae dicam, pars gaudere felicitate illa potuerit, uti libera & intacta plane relinqueretur a gravi flagello, a belli atrocitate, pecorum non modo, terraeque fructuum vastatrice, ipsisque omnium ordinum hominibus, multis modis funesta; sed inprimis quoque vero ac certissimo felicitatis adjumento, scientiarum nempe atque ingenii culturae inimica. Quam Hassia nostra plagam calamitatemque acceperit, prae aditis proxime regionibus aliis, & quam graviter fuerit afflicta, satis superque constat, ut docere id alios superfluum foret, ab hoc certe loco alienum.

Illud autem monere heic interest: ipsa eadem belli fervitiae ac rabie incitari debere nos inprimis, quorum munus est salutaribus juvenes imbuere praeceptis artis chirurgicae, ad acrius severius & nullo intermisso nec temporis nec sedulitatis momento, cogitandum; alloborandum in formandis ac perficiendis viris, salubritate atque honore artis suae dignis: ne desint in posterum viri ab arte commendabiles, quorum opera & manuum dexteritate lacerti militum mutilati, innume-
risve modis aliis laesae corporis partes aliae restitui & servari

servari caute possint. Novis itaque viribus & intensis docentium nervis in tanto opere adjuvando, & in aptando ornandoque unumquemque suo muneri elaborandum est. Inprimis vero in iis exornandis solidaque doctrina muniendis cautio & attentio adhibenda est, qui praesentium commodorum, & si bona sua norint, iisque recte inservierint, futurorum quoque blandis vinculis seminario chirurgico & publicae per hoc utilitati alligati & obstricti tenentur.

Ego certe faciendum putavi, ut animi mei sensus, futurorumque laborum meorum rationem heic traderem, & publice ex hoc loco indicarem, quae expectari a meis praelectionibus possint. Per hanc vero occasionem si quaedam de munere meo, de meis occupationibus, quibus per hos retro **XIIX** annos heic, non, ut confido equidem sine aliquo aegrotorum solatio, & augmentis doctrinae functus sum, commemorem, non indigna me praefaturum arbitror, nec invidiam aequorum iudicum metuo. Et si alias forte invidiosa videri possit illa de se suisque meritis praedicatio: hoc tamen tempore excusatione digna mihi videtur. Quis enim sanus non probari cupiat novo Domino? quis non aliquid sui muneris, suae artis illi offerre? Quod vero gratius offerri a me munus potest Serenissimo **FRIDERICO** nostro, Principi Magnanimo, quam labores nostros atque studium, in propinanda auditoribus nostris dignitate artis, necessitate, limitibus, verisque doctrinae, quam profiteri iussus sum rationibus? quos certiores habere possum pietatis ac devoti cultus

interpretes? His in rebus cum inferiorem nullo me homine profitear, cum certamen nullum defugiam, solis tamen his armis certare de maximo praemio, de Serenissimi Landgravii nostri gratia promerenda, retinendaque paratus sum. Eo vero minus hic metuendum quidquam arbitror, qui satis exploratum habeam, non tam magnitudine munerum moveri sapientissimum Principem nostrum quam simplici pietate offerentis, ut nempe nec aquam cava manu sibi oblatam Darius quondam respuisse dicitur. Neque vero sapientissimus Princeps indignabitur, sibi exhiberi in parvo libello specimen observationum, quas de magna silva earum hic proponere visum est, quae obiter natae sunt, cum **CXLI** mortuorum corpora in vivorum gratiam secare & accuratius inspicere pro muneris ratione debui. Hac nempe ratione in primis consulere jussus sum seminario, cujus ipse Serenissimus Princeps, cum ceteris Imperii sui partibus curam suscepit benignissimam providentissimamque.

Opportunus hic locus est docendi eos, qui nondum sciunt, quaenam sit Seminarii chirurgici Cassellani nostri ratio & institutio. Quatuor nempe recipi solent in illud juvenes chirurgiae, non primorum modo rudimentorum hauriendorum sed ulterioris doctrinae cupidos & spe bonae frugis non destitutos; de quibus pertimescendum non est, frustraneam fore curam, in perficiendis iis adhibitam, atque sumtus. In horum enim gratiam salariis sat amplis conducti sunt tres Medicinae Professores, ad anatomiam, chirurgiam, praxin
non

non minus quam theoriam, ad easque medicinae partes quibus indigent boni chirurgi, sedulo, distincte & accommodata auditoribus ratione docendas: ne desint patriae viri e juvenibus parati, omni artis ambitu exornati, digni tandem aestimandi, qui tuto, cum bona certe spe admoveri cohortibus, oppidanis, aliisve muneribus publicis possint. Apud nos etiam more omnium scholarum, scilicet bonarum adhiberi solet cautio, ne putent auditores, omnes hic tractari propriasque medicinae partes, feriis potius admonitionibus, quoties fert occasio, contra pravam praesumptionem solent muniri; & illud serio inculcari eorum animis, abstinendum caute esse chirurgis, qui nihil sint nisi chirurgi, qui latos medicinae campos non emensi sint, ab omni curationum internarum, a medico non directarum genere, ne destituti artis praeceptis opus suscipiant, quo recte defungi non possint, damna inferre irreparabilia nimis facile possint. Quam enim aliter fiat, siquidem ne verbum quidem proferri soleat in auditoriis Chirurgicis de statu hominis perfecto; de vera corporis ac vitae illius oeconomia, ut fundamento omnis artis salutaris; de morborum genere, multiplicitate & varietate nihil; nec de dignoscendi eos & dijudicandi ratione; neque de causis, symptomatibus, universaeque eorum natura; ac medendi ratione, e penu pharmaceuticae ac dieteticae haurienda; nihil de tuenda, servanda, ac, quoad datum est hominum curae, prolonganda valetudine. Destituti his omnibus requisitis, vero medico summe necessariis, iisque nec meditando solum minus etiam somniando, ipsamve ingenii ac functionum nostrarum arcem trepanando,

nando, obligandove partes corporis humani externas, unquam acquirendis, praemoneri apud nos solent, ne aliorum messi falcem impudenter immittant, indeque vituperii maculam potius quam bonam famam artisque ac doctrinae laudem referant, apud eos certe, qui digni judicantur ac aequi rerum aestimatores: de plebis enim, hoc est hominum inscitia laborantium, vel turpi factione aut lucri aviditate ductorum perversa quaevis laudandi, & de rebus, quas ignorant judicandi more, sermo hic non est. Verbo ostenditur nostris, aegrotos opera eorum minime indigere, quibus vix de nomine nota sint physiologia, pathologia, nosologia, semeiotica, hygiene, therapeutica. e. q. s. h. g. a.

Ceterum nec defunt opportunitates, instruendis auditoribus nostris ac perpoliendis, si bonis suis frui velint, aptissimae: ut parvum illud quidem, quia initium tantum & specimen tentabatur, utile tamen pluribus rebus Nosocomium, ex Wilhelmi nostri Serenissimi, quem boni omnes modo lugent, semper amabunt, munificentia ac amore in subditos natum, ad recipiendos perpetuo quatuor homines, difficili aegritudine laborantes, vel vi externa graviter afflictos, chirurgicis ita dictis cardinalibus operationibus, ut trepanatione, amputatione, vel cura praecipua manuum alia, ac celeri auxilio indigentes aptatum. Manu ita ad lectum duci solent in seminarium recepti, ut ex ore chirurgi, cui cura Nosodochii illius tradita est, dexterrimi, aut medici, vel prout res exigit, ex utriusque sententia intelligant, quid tutius in re ancipiti agendum sit, celerem

celerem malo exigente operam; ad ipsam quoque haud raro, quoad licet, manuum applicationem admissi. Annuis insuper stipendiis, ad acuendum animi in artis profectus studium incitantur. Lege tamen simul cautum est, uti tanto beneficio indigni aestimentur, & eliminationis macula, sibi metipsis tum imputanda no- tentur, qui sedulitate sua, attentione, cautave praeceptorum receptione ac imitatione, recte frui atque uti indulgentia illa Principis & providentia vere paterna non student,

Amplissimi & patuli vobis erunt, Auditores suavissimi, fontes artis; nemo vestrum cupiditatem & alacritatem docentium desiderabit. Utinam modo lugenda non esset honorati & cari nobis Collegae Wagneri, de universo salutaris artis ambitu & inprimis quoque de chirurgia, non voce modo docenda, sed, quod rarius est, operatione & manibus demonstranda, optime meriti, mors praematura, viduae jam & pignoribus conjugii fatalis, quos divinae providentiae commendamus. Vobis, o nostri, discendi opportunitates non deerunt, modo ipsi tempori & commodis vestris serviat.

Docere mihi incumbit secandi cadavera methodum, & offerre oculis vestris structuram humani corporis, pro sexu, varioque aetatis ac perfectionis gradu variam, tum ordinariam, tum subinde declinantem ab archetypo, prouti casus tulerint: meum est de vero partium usu & functione solícite agere, praeter omnem tamen controversiarum ac litium, numero plurium ad-
místio-

miffionem, qui non tam artis prolixitati ac gravitati, quam excipientibus dicta mea sermonem fim accom-
modaturus. Solidarum corporis humani partium de-
monstrationes aestivis praelectionibus destinatae sunt.
Impositum mihi insuper est, aliqua impertire quoque
vos chirurgiae parte, practica nempe, ut doceam qua
cautione in noscendis vitiis, quae dicuntur chirurgica,
feu externis opus fit, & quem in modum eadem cu-
randa sint.

Etiam hic haud raro commode accidit, uti &
de cura interna, vere medica non nullae interponi ani-
madversiones atque cautelae possint. Et hoc lubens
data opportunitate praestare soleo, probe tamen &
serio inculcans, quod paulo ante monui, non temere
a Chirurgo, qui nihil sit nisi Chirurgus, suscipiendam esse
curationem internam, sed medicis magis proprie dictis
relinquendam, nisi quando praecclusum se penitus sciat
chirurgus a medico vel advocando vel certe consulen-
do: ne inde forte catalogum rerum, quae dicuntur non
naturales, augere potius, quam utilem se praestare la-
boranti videatur; injuriisve aeris pejorem se prodere,
perverse tractatis aegrotis: qua de re exempla prae-
stant voto & fide longe plura. Non inopia negotii,
(habeo enim quod agam & fatagam) nec invidia, sed
amore hominum, qui medicum vel maxime decet, &
reipublicae ac muneris causa facere non possum, quin
per hanc occasionem publice etiam sententiam dicam,
de pestiferis varii generis medicastris, salutarem artem
injusto titulo & obtentu exercentibus, quos ferri ipsos,
letife-

letiferasve eorum curationes, latrocinia fere dixissem, impium pene est, certe indecorum & noxium in urbe, a longo jam aevo multifariarum artium quoque ac scientiarum splendore & documentis celebri. De chirurgis modo dixi, qui tamen medicinae partem antiquissimam, & maxime, in bello praesertim necessariam, honorificamque merito suo exercent: affines sunt his pharmacopolae, qui & ipsi tamen hinc inde de praeceptis medicinae aliquid arripiendi occasionem habent: utrumque genus in gravi peccandi, homicidiique adeo periculo versari ajo, si suos extra terminos progrediantur. Sed quid sibi volunt homines, cum ad medicinam sibi suisve faciendam adhibent pecudum pastores, balneatores, carnifices, angue omni peiores, ab aegrotantium lectis ut lege ita, si haec non satis valeat, poena removendos. Sed regerere homines audio, de suo agi corio, ideoque optionem esse aegroto unicuique relinquendam; imperio fiduciam non procurari; dubiis implicitam esse adhuc ipsam artem medicam innumeris; dissensum in una eademque re atque discrepantiam, diversas subinde toto coelo, & vix concipiendas sententias atque curationes observari medicorum, etiam in celebritate quadam & fama versantium; & quae sunt hoc genus ratiociniorum alia.

Fatendum est ac dolendum; simpliciter ista negari non posse. Sed est tamen quod respondeamus: illud primum, scientiarum ac doctrinarum nullam esse, quae non admittat discrepantiam in tanta hominum turba, genio, ingenio, cognitione, aequitate, conceptu

idearum, morumque diversitate variantium. Et quis nescit, quantum ipse circa religiones dissensus valeat in suadendis malis, quantum Theologi? quantum disputetur de jure, de aequitate; quam diversae & pugnantes adeo prodeant in re eadem sententiae ac decisiones, alias aliae evertentes, judicia decidentium e directo subinde sibi obvertentia; & sic in philosophia; & in universa hominum prudentia & inclinationibus; in castris, vallis, oppugnaculis, aggeribus construendis, in exercitu instruendo, dirigendo, in pugnando, in oppugnando & defendendo. Et quis discrepantium sententiarum argumenta enarrare omnia posset, numero capitum fere aequalia: quibus tamen servari ordinem rerum & regi, in comperto est. Non ergo mirum, si in tanta rerum discrepantia in obscuro ipse quoque subinde versetur medicus, ubi ad unam formulam & consentientia praecepta non magis adstringi possunt, quae de morborum causa & natura, de agendi medicamentorum modo, quam quae docentur in theologia, in jure, in rebus humanis aliis. Quid mirum, inquam, si in re minus evidenti & digitis non palpabili, ob id ipsum cautionis, prudentiae & scientiae plus exigente, suspensio subinde animo incedere cogatur medicus, & diversum sentiat ab aliis, vel & hallucinando adeo cautior longa tandem fiat experientia, probe instituta & confirmata.

Habere fundamentum hanc inconstantiam, has sensuum nostrorum ac cogitationum vices in ipsa conditione hominum, in comperto quoque est, & exempla

pla satis produnt, si provocare ad ea libeat quae in quotidiana observamus vita, ubi nec moribus semper iisdem, nec elegantis, nec eruditione, nec prudentia nec honestate adeo eadem uti homines videmus. Ita nec in ipsa quoque vitalitatis nostrae ac perennitatis ejus, nec in sensationum ac sensibilitatum ratione formanda ac conservanda, constantem plane se nobis provida rerum gubernatrix eandemque semper ostendit: quum sit quidem ordo rerum certis accommodatus adstrictusque regulis, sed nostri idem judicii ac perspicuitatis imbecillitati non semper satis pervius. An ideo Natura in jus vocanda, id est consilium divinum accusandum quasi est? & quemnam tum adibimus judicem? Pessime ac impie summi numinis voluntatem & in stabiliendo rerum ordine sagacitatem interpretaretur, si quis forte ob perpetuam rerum quarundam ambiguitatem agnoscere verae salutis cum in divinis rebus tum in humanis ancoram vellet nullam: vel & ratione unum quemque sua, ut actionum & salutis rectrice uti indjudicandis rebus nollet. Ex comparata demum sibi vera rerum cognitione pares fieri homines scimus, ad ponderanda & comparanda cum malis bona, & ad pendenda rite omnia: & seligendis his, illis rejiciendis tandem aptiores; sicque in vindicanda sibi sua prae creatis omnibus aliis praecellentia reddi magis semper felices, Deoque & hominibus gratiores, & a scopo creationis suae minus declinantes.

Caecam nobis fingunt quidem poetarum ingenia fortunam, obligatisque oculis munera sua projicientem:

tem: Nullibi autem eundem in modum procedentem videmus prudentiam aut artis cujusque facultatem. Elaborandum unicuique, qui vel sibi utilis esse vel aliis velit, velle autem nemo non debet, in acquirendis bonis moribus, prudentia, eruditione, vi experimentorum & periculorum firmanda omnia, quo abripi se a rerum inconstantia ac dubio coeptorum exitu non patiatur, sed honores vitae, unusquisque suo generi proprios tueri, & augere strenue semper cupiat. Ita in vita communi ideae rerum adaequatae, deliberationes, judicia, cautiones, tutissimi sunt actionum nostrarum rectores, ne male consulat quisquam commodis ac desideriiis suis.

Ultra fere hujus libelli consilium amore hominum evectus, jam breviter & quam aperte potero dicam, quorsum omnis haec disputatio pertineat. Nemo sanae mentis compos, aut non somnians, sutorem adit, quando capillamento indiget; non sartorem, non fossorem, non pharmacopolam, si quis sit telescopiorum, picturarum, saltationumve cupidus; non fora judiciaria ad suavem audiendam instrumentorum harmoniam; non judaeos, farciminum esuriens; & q. f. h. g. a. In hisce rebus, ubi de palato demulcendo, de fastu, ornatu, sensibusve nostris deliniendis agitur, cautionem omnem homines adhibere videmus, quo optima quaevis acquirantur, e longinquo subinde magna sumtuum impensa, magnis molestiis ac periculis adeo procuranda. Quid ergo sentiendum, quando aegrotantem aut adstantes, & de vita eorum sollicitos solatium quaerere a
suillo.

suillorum, aliorumve pecudum pastore videmus, vel balneatorem adire: quando merum pharmacopolam, aut chirurgum solius artis suae, si modo hujus peritum consuli videmus, cum in discrimine haeret valetudo, ubi intus latentia vitia cognoscere, dijudicare ac rite iis mederi oportet; cum honesti patris familias aut matris plurium infantum valetudo in praecipiti versatur; cum in fervando capite, rei publicae utilissimo, omnis cura requiritur; & quae allegari heic notabilia vel personarum pondere vel morbi gravitate exempla possent alia!

Uno ore cives omnes consentire in eo intelligimus ex consuetudine scilicet & familiari confabulatione: nihil esse valetudine carius, auro nulli postponendam; spectabilem in civitate locum & praestantiam veris medicis, divinum munus, valetudinem regentibus non invidentes: Et tamen tam perversa ratione pericula evitare, ac valetudini inservire aegrotos haud raro, constat, divino muneri illo male consulentes, quando in corrigendo illo aut restituendo devios ire videmus, etiam qui conficti sunt de praecellentia veri medici, & instar agere hominum vino, aliave re sensus suos offuscantium. Quantum enim valeant in illis turbandis hinc intempestivus favor, hinc odium aut avaritia, hinc credulitas, hinc fiduciae in res a Deo ordinatas (sic enim vocant medicinam legitimam) defectus, propter quae medicis, providentiae principum illos constituentium, suaeque adeo salutis hinc pendenti repugnare malunt, quam verum agnoscere rerum ordinem, fugere

neminem, qui attendere velit potest. Tristia inprimis ea sunt perversi sensus exempla, quando medicos, in nutrienda, blande fovenda, conservanda & restituenda machina sollicitos, verbo in dirigenda ac restituenda valetudine sedulo laborantes accusare solent imperiti, quum primum spe recuperandi pristini roboris destitutos se percipiunt: ac si vana esset aeterna illa lex divina, quae flagella peccatorum credere nos jubet tot morborum genera, periculo raro omni destituta, & quorum vi exposita est aetas omnis, robur, dignitas. Cum divina potius exoptulandum esset providentia quam cum medico, quando vim mortis vi remediorum etiam selectissimorum majorem experimur singulos per dies.

Rusticis plebive infimae condonanda sunt neglectae valetudinis crimina, totidem ignorantiae, festinationum, superstitionum aut imaginariorum fascinorum indicia, aut defectus adeo commodae facultatis consulendi virum, artis salutaris peritum. Quid autem moveat viros graves alioquin, a bonorum morum fonte, a divinarum legum cultu non alienos, qui poterant pseudomedicarum curationum exemplis tristibus non minus quam luculentissimis ac frequentissimis alia doceri, ut medicaistros tamen potius quam probatos medicos adeant, divinare nolim, nec si intelligam, temere patefacere.

Paterna cura viri, a communi sensu & vulgari doctrina non destituti filium, Hippocraticae arti dicatum, aberrare ad hauriendam ex Justiniani fontibus eruditionem

tionem medicam nunquam finet, neglectis medicis, & ne quidem ad physicam generalem modo docentes philosophos, quando quidem veram corporis humani oeconomiam intelligere, & omnem structurae ac functionum ambitum cupit filium suum, quem ideo physiologo potius, in arte secandi exercitato committet. Physiici cum physiologo comparisonem de industria posui, quo accedamus propius paulum ad artium confinia, & elucescat evidentius magnum quod bonos etiam Chirurgos inter pharmacopolasque suae artis peritos, atque inter medicos proprie ita dictos discrimen intercedit.

Hac vulgari sententia: Fac tua, quae tua sunt, caetera linque Deo, finem imposuisse huic disputationi, & liberasse sic animam, opportunum erit, ne molestia potius quibusdam lectoribus, quam commodi quid ex ulteriori argumenti tractatione nascatur. Nemo non Magnatum, civium, rusticorum tutissimus ibit, a conscientiae certe morsu liber, qui quod suum est fecerit. Et quis placide acquiescere in omni rerum eventu, ac tutus in divina providentia omne per aevum nolle? medius ceteroqui inter summa rerum discrimina, dubios exitus eorum etiam, quae certa satis videntur atque inconstantiam rerum humanarum se versari cogitans. Nempe eadem ratio servanda est in educandis liberis, in perficiendis iis, futuro muneri, artificio, scientiae &c. admovendis, matrimonio jungendis, in bonis acquirendis, in iis ac honoribus tuendis, in publica salute, in privata procuranda, & q. s. h. g. a. Quis igitur

tur postulare potest, ut alia ac diversa ratione in servanda & tuenda valetudine procedatur, sine qua nec reliqua, quae modo diximus, nec obtineri, nec dulcia fatis esse nobis possunt.

Verum enim vero fatis est querelarum ac sententiarum: spe potius optima erigendus & reficiendus est animus, futurum, ut suus honos habeatur in posterum, sicut unicuique bonae arti, scientiae ac artificio, ita salutari quoque, pro qua disputandum mihi putavi & pugnandum, arti. In eo jam felicitatis gradu res nostrae sunt constitutae, ut Magnanimum venerari Restauratorem universo collegio carolino, seminario chirurgico, & omnis generis doctrinae liceat. Serenissimus Fridericus noster felicitis auspicia imperii totidem cum dederit, quot edicta promulgavit amoris omnia & pietatis in suos cives, paternique animi effectus & specimina, inter curas bellicas praesertim, quas praesens rerum conditio facit necessarias, Musas etiam nostras respexit propitius: Carolinum Collegium, & quidquid annexum illi jam est, vel annecti commode potest, sua cura dignatus est: Splendidum inde, quia unum, corpus formari jubet, novis, amplissimis iisdem emolumentis accommodis exornandum suscepit; signum ad optime sperandum de hac etiam parte reipublicae erexit.

Faxit Deus uti curis optimi Principis & magnificae animi propositioni felix respondeat effectus; uti hoc vigore corporis, hac alacritate animi constanter utens, divinoque praesidio tutus, longum per aevum sui populi
amore

amore & veneratione ita fruatur, ut relinquatur dubium, magisne suos ipse amet, an ab illis ametur, felicioresne illi sint tali principe, an tali ipse Serenissimus Princeps populo. Amet ipsum populus suus, populum ipse, utrosque Deus. Audi, Bone Deus, pia vota! Da pacem, Domine, Domino nostro, & per illum longam patriae felicitatem.

* * * * *

Insequuntur nunc observationes aliquot ex adversariis meis, seu demonstrationibus anatomicis, in hocce Illustris Collegii Carolini auditorio factis desumptae. E tribus corporis nostri cavitatibus laudandas selegi particulas aliquas, quibus structura, a vulgari recedens exhibeatur vel frequens ab extraordinaria distinguatur ac firmetur.

IN CEREBRO.

Cerebrum, molissimam ac pulposam quasi, quoad sensus sc. hebetes nostros, structuram referens, re autem vera totum vasculosum, continua serie nervis ministrans, & spiritum roremve quemcunque subtilissimum penetrantissimum ac vi sua potentissimum suppeditans oeconomiae corporis humani, suas quoque habet declinationes ac vitia, haud raro quam longissime a molli habitu suo remota. Ita Cadaver pueri 3. annorum, tabe consumti tumorem in cerebro aluit durum, glandulosum quasi, qui certe universo habitu suo, colore, ac duritie recedere non videbatur a vera glandularum.

larum conglobatarum colli, maxime vero qualem bronchiales infarctae referre solent, natura. Hac ipsa cum bronchialibus ejusdem cadaverculi similitudine impediebar, quo minus ad cysticos, quorum tamen vix discrepantem referebat indolem, ablegaretur tumores, steatomatosos. Quem *C. Baubinus* *) anno 1582. animadvertit tumorem, a nostri indole vix puto recedentem, certe nec loco, quem tenebat, nec duritie, scirrhum vocavit, & ita glandulosae annumerasse videtur cerebri naturam. Nolit tamen quis ex hoc habitu glanduloso argumentari, moneo, ac si ad glandulosam cerebri structuram cum Malpighio accedere mallet, quam ad vasculosam, cui inmiscendi me liti animus non est: minime insuper ignorans, quam sint fallaciis haud raro involuta argumenta, a statu partium corporis nostri praeternaturali & vere morbofo sumta. Quanquam nec alterum hoc negari queat, plus semel erutam quasi & denudatam fuisse ex morbofa veram particularum indolem. Ita enim, ne aliis immorer, e longinquo petendis exemplis, ea ipsa adeo glandularum natura, habitus & praesentia ipsa infarctu demum fiunt oculis patentiora, iis certe in locis, ubi dubitare fere de earum existentia liceret. v. gr. in mesenterio, collo, circa bronchia, & arcum aortae, plexum choroiden &c. At tumor noster, qualem mox dixi, mediam medullosam tenebat Cerebri substantiam hemisphaerii sinistri, corticem inter atque ventriculum sui lateris magnum situs; & ipsum fere attingebat ventriculum, insitumque ipsi plexum, vasculo-

*) *Theatr. Anatom.* L. III. C. 12.

loso - glandulosum, choroiden. Magnitudine nucem avellanam, duritie vero mollem glandulam referebat, sic tamen ut detegi in illa quidquam glandulosi, carnosii aut rubentis non posset: & tamen suae involvi videbatur cuti. Nucleus, nam tenuis quasi cortex aderat, subduriusculus boni puris instar se habebat. Universum vero corpus subdurum erat, globosum, coloris ex fusco albescentis, omni pediculo destitutum. Ambitus ejus medullosus circumcirca subluteo colore ad dimidii digiti crassitiem erat perfusus. Proxime vero in lutea quasi pulpa jacebat globus noster. Sicuti universus cerebri habitus singulari praeditus est structura, a reliquis corporis nostri partibus valde recedente, ita quoque tumor iste a carne omni, a vero pure, a cysticis tumoribus, a glandulosa aequae ac calculosa multum discrepabat. Exemptus globulus atque per medium rescissus aequaliter, extima cuticula tenui excepta, subdurus erat atque coloratus. In genere agnoscendum & fatendum heic est, cum *I. B. Fantonio*. *) Esse Cerebrum partem hominis, cujus obscura adhuc structura, obscuriores morbi, obscurissimae functiones, perpetim philosophorum atque medicorum torquebunt ingenia.

De sepimento illo cerebri, quod lucidum audit seu pellucidum, cujus ope interior profundior atque anterior hemisphaeriorum pars, ventriculis majoribus seu anterioribus interposita in duas quoque dissepi-

C 2

tur

*) In Scholio observation, anatom, medicarum XXXV,

tur, quid cadavera diversae valde aetatis, feminae scilicet LXXII annorum atque puellae XXVII mensium obtulerint, dicere eo magis intererit, cum discrepantes valde sint de simplici deque lamelloso ejus habitu, de cavitate, atque de contento ejus sententiae Anatomicorum. Solidius enim quidquam affirmari de ordinaria partium corporis humani structura vix licet his, quae a diverso aetatis ac perfectionis gradu suppeditantur, inter se tamen convenientia: Sit quamvis & in iis quoque particulis determinandis cautio omnis adhibenda, ubi pro diversa functionum a diversis vitae nostrae periodis pendentium ratione, vel nullae sunt, vel non evidentes, flaccidae, evanescentes, in alias mutatae, aut denuo prodeunt. Fecisse rei vel inconstantiam & variabilitatem, vel ipsam particulae mollitiem, videtur, ut discrepare tantum Prosectores de septi illius vera natura videamus, vel potius ut velut traducem acceperit alius ab alio descriptionem, non satis caute adhibita ulteriori inquisitione, ex ipsis cadaverum inspectionibus facta. Adeste, sit quamvis mollis valde ac tenuis cerebri illa particula, *Galeno* *) jam & nemini non veterum anatomicorum innotuit: illud autem varietatis vel obscuritatis potius habere descriptiones videntur, uti in promptu non semper sit eruere, quamnam corporis callosi, fornicis seu camerati corporis portiunculam intelligi velint. Quam itaque sit facile, permiscere particulas, non modo contiguas, sed continuas adeo, nulla
linea,

*) *Anatom. administration, L. 9, C. 3.*

C 3

justo

*) Qua re *Columbus* de re anatom. L. VIII. C. 1. p. 192. motus sit, ut dicat: aliud nihil esse septum illud, quam tenuem cerebri membranam, hoc loco duplicem, difficile est ad dicendum, nisi forte eadem contradicendi *Vesalio* cupiditate inductus fuerit, qua notare *Galenum Vesalius* studuit.

**) Loco citato L. IX. C. 4. vid. insuper *Spigelium* de hum. corp. fabr L. X. C. 4. & C. *Bauhin.* l. c. cap. 13.

***)) In Mundin. p. 334. b. ubi cavernas quoque vocat illos, cellulas atque thalamos.

7) In Epitome figura muscutor. quarta inter G. & I. longum nimis refert; in magno dein opere suo de H. C. fabrica 7. Lib. fig. 5. X. X. breviorē dedit; & forte, quoad ipsum precise locum melior fuisset figura ea, quam rejecisse se, ait p. 760.

justo nimium posteriora versus locatum: bonam tamen agnovisse eam insequentium anatomicorum plurimos, inde inprimis patet, quod mutuatam, uti & de ceteris facere figuris Vesalianis, propagarunt quasi, & aliis tradiderunt. Suo dein loco (propius enim progrediendo in descriptione ad verum habitum est accedendum) figura exhibitum reliquit *Jul. Casserius* *) sat eleganti, speculum a *Spigelio* vocatum. Subsistere in *Casserii* figura possemus, eleganter & praecise cum naturam referat, & tanti vix sit, profundius descendere in historiam anatomicam, ne in peiores, qualem verbi gratia *Higbmorus* **) fictam dedit, incidamus. At praeteriisse *Eustachium*, injurium fere esset in aevum ejus atque in Viri in re anatomica praecellentiam: locum certe, si non ipsum septum indicare voluisse videtur in Tab. XVII. fig. III. angusto spatio illo priori, ventriculis anterioribus intercepto. Cum vero magis intersit auditorii nostri, auctorem excitasse, cujus copia pluribus sit, consulant ii *Th. Bartholini* ***) figuram, sat belle naturam exprimentem. Haec ad figuras. A priorum dein sententia recessisse & dubitasse de simplicitate septi videtur civis meus, *C. Baubinus*, quando dicit †) „tenuis licet sit, simplex tamen non est“ addit insuper „medio tuberculum quoddam

*) Vid. apud *Spigelium* de hum. corp. fabr. L. X, C, 4, fig. I, E.

**) Corp. hum. disquis. anat. p. 211.

***) Anatom. renov. p. 481. f. 3. G.

†) l. c. in fine Cap. XII. L. III, non cum Columbo mox laudato faciens, sed eandem cum cerebro substantiam septo tribuens,

dam instar lineae obtinet „ an illo & cavulum adeo aliquod intellectum velit, suspicari vix licet, cum nec Vesalius, a quo mutuata est figura, mentionem ejus ullam facit. Primus autem, hiatus ope diremtum in duas partes tradidit *Fr. Sylvius* *) qui casu incidisse se in veram hanc septi naturam ait. Brevia cum sint verba ejus, ipsa apponam „ Corpus callosum, ubi in septum pellucidum incipit attenuari, *Hiatum* habere, ipsum etiam septum quamvis tenuissimum in partes duas nonnunquam dirimentem, cum admiratione, ante annum casu observavimus, & spectatoribus nostris demonstravimus jam aliquoties. „ Et cavitatem dein figura adeo exprimi curavit, *Vioussenius*, **) parvam dicens illam anteriora tenentem, cui haud raro pellucidam inesse aquam, monuit. *Winslovius* dein non lamellam modo duplicem eleganter descripsit atque cavitatem ejus, ***) sed & insuper tenuem adesse membranam lamellarum latera tegentem, †) non tamen constantem asserit dehiscentiam lamellarum, & serum, bene, non semper tribuit cavitati. Simpliciter vero recepta nondum videtur cavitas septi, cum filere alios illam videmus: ita *Drachius*, ††) & *Cheseldenius*, †††) civem suum *Ridleyum*, *) de structura cerebri optime meritum, fecuti

*) Disputat. Medic. IV. §. XIII.

**) Neurograph. L. I. C. XI. Tab. VI.

***) Exposit. Anat. Tr. de la Tête §. 68.

†) ib. §. 90.

††) Antropol. nova Vol II. p. 275. nihil de laminis quidem dicens.

†††) The anatom. of the hum. Bod. qui p. 222, tenuem modo membranam dicit septum lucidum.

*) The Anatom. of the Brain p. 120.

secuti non sunt: qui tamen constanter duplicem vidisse se ejus laminam asserit, & pluries aquam intercipientem. Oblongam dicit eam *Heisterus*. *) Contra vero a formae (quae, ut quod res est, dicam, eadem in omnibus non exhibetur cadaveribus) inconstantia motus Illustris *Hallerus* **) anonymam caveam vocare maluit, cautus in hac quoque re ac fidus Physiologus. Sepius quidem, non vero semper adesse cavum putat *Lieutaud*, ***) parvae fabae excipiendae capax. *Santorinus* vero de industria adeo evertere omnem de cavitate illa doctrinam & autopsiam conatur; ne rimulam quidem admittens, incautae Professorum tractationi eam unice tribuens †). Classicorum hos certe excitasse Auctores satis erit, tantum vero pertinere putabam ad illustrandam circa septum illud discrepantiam: quo intelligatur propius quid praestitum sit circa laminas, & interstitium harum, in quibus omnis hodie versatur disputatio: Situs cum sit notissimus & constans. His jam subjungenda descriptio nostra seu observatio.

Remota maxima hemisphaeriorum cerebri mole, laterali aequae ac altiori, solo calloso corpore cum centro ovali servato, & uno primum lateralium ventriculorum ab extrema parte sui denudato, septum illud, de quo sermo est, statim, levato paululum cauta manu calloso corpore, in conspectum prodit; figura utcunque

*) *Compend. anat.* §. 270.

**) *Physiolog. prim. lin.* §. 363.

***) *Essais anatomiq.* p. 391.

†) *Observat. Anat. Cap. III, §. VI.*

que rotundula, magnitudine pollicaris unguis, vix paululum retro priorem ventriculi arcuatum extenuatumque apicem incipiens; (Ipsos enim ventriculorum anteriorum cornuatos limites exteriores aequae, posteriores, ac anteriores longius magis reperi protensos, & in tenuiores definere apices animadverti, quam tradi alias solent:) & aperto altero quoque ventriculo manifeste magis limitatum erat: primo intuitu isto simplicem laminam medullofam referens, ipsa ex pelluciditate sua conceptam. Esse autem vere duas laminas cauta manus docet, quando nempe solidiore, id est firmiore universi cerebri consistentia, quam non omnia offerunt cadavera, adjuvatur Prosectoris dexteritas. Et tum demum semota lamina una, (quod in utroque cadaverum nostrorum, de quibus inprimis sermonem heic esse supra monui, efficere licuit:) altera quoque facta est evidentior: uti dubitare vix liceret de tenuissima membranula, obducente laminarum externam aequae ac interiorem faciem, ad oculum quamvis demonstrare eam auditorio, non physiologico sed chirurgico inservienti datum mihi non erat. Cavitatis autem demonstratio manifesta erat: ut ne quidem de figura ejus difficultas remaneret: nempe priora versus acuminata erat, cito satis amplior facta in verticali directione sua, versus posteriora autem vergens longius procedebat, antequam ad angulum conflueret angustissimum; perpendiculariter ampla erat, diametro vix ultra lineam lata. Hoc ex cadaverculo puellae duorum & quod excedit annorum. In cadavere feminae LXXII. annorum distinctae quoque aderant laminae & cayum,

iis inclusum: magis autem recedere ab acuminata figura videbatur, rotundiori propius accedens. Nec forte derogari inde aliquid oeconomiae corporis nostri poterit, si pro more aliarum cavitatum, aut ventriculorum cerebri, proprie sic dictorum, vel acuminata ipsa quoque haec sit subinde, vel & paulum obtusior. In priori horum cadaverum sero non onustum reperi cavum illud: denuo cum ventriculis cerebri commode comparandum, qui vix udi observari ordinario solent, ex malo demum cerebri habitu, per lymphae abundantiam contracto, aquam subinde continentes.

IN THORACE.

Ipsas prius cavitates pectoris praecisius determinare juvabit, quam insitarum illis particularum animadversiones tradere: ne dubium relinquatur de situ partium, in hoc enim caute tradendo interesse Auditorum meorum magis arbitror, quam de fibrillula aliqua, de ramulo exili vasculoso variante sollicitum nimis se ostendere; quanquam & haec quoque physiologo sint scitu necessaria. De situ igitur partium deinde directione ac proximitate, quoad licebit, prius constituendum. Receptam pectoris in duo cava, pleurae seu potius duarum pleurarum ministerio sejunctionem turbare nolo, mallem autem non solis pulmonibus sed reliquis etiam quae in universo sunt thorace, partibus suos assignare loculos, ne forte & aliis, certe non auditoribus meis confusa nascatur partium inibi contentarum idea; & alii quoque, si velint, intelligant, qualem in demonstrandis cada-

cadaveribus servare soleam rationem atque methodum. Ita pectoris cavum cum abdominali primum comparandum dico, alia cum viscera intra peritoneum (nec vulgatissima sunt negligenda) coerceat, muneris ratione a reliquis separanda; alia extra illud; unumquodque suo loco, in singulari cavo, ut genitalia in pelvi, urinae inservientia in hac eadem atque in celluloso altiori loco sita. Duas distinctas indicare & monstrare soleo pleuras: possunt enim levi opera, certe in junioribus ubi nexus cum tendinosa diaphragmatis atque pericardii parte laxior adhuc est, sejungi ab adsitis partibus, uti & in hoc quoque tertio cum peritoneo commoda sit comparatio. Utraque pleurarum suo prospicit pectoris quasi hemisphaerio, & tenuis hinc inde praeter nexus alios cellulosae ope concurrat cum compare sua alterius lateris: unaquaeque, si figura quoque exprimenda sit, globum quasi refert, a media confluenta parte compressum, sursum obtuse confluentem, deorsum planiorem & ampliorem, angustis circumcirca limitibus compressum, & centrali parte sua excavatum: verbo, laevem loborum pulmonis circumferentiam referentem. Nihil plane continetur ab unaquaque praeter pulmonem, nec ulli visceri vasive investientem dat tunicam quam pulmoni; arcuatum costae primae spatium illa coercetur, costis ceterum interstitiisque earum obtenta: uti & diaphragmati, pericardiique parti laterali; vasa, nervos, viscera quoque, vel tamen partes viscerum pone se linquens & excludens penitus a cavitate sua. Illis autem in partibus, ubi confluit pleurarum biga, ante, pene, & supra pericardium, cellulosae tuni-

cae ministerio connectuntur inter se, laxius ordinario in junioribus, in adultis in unam quasi tunicam confluentes, mediastinum efficiunt, quod obliquam cordis inclinationem sequitur, & cujus ope omnis praecclusa est cavitatum duarum magnarum thoracis connexio: ne laesa, sanguine, aqua aut pure infarcta una, altera quoque eodem inficiatur vitio. In hoc denique non recedit a peritonaei natura, quando porosa quoque dicitur, tenui nempe rore indefinenter irrigans parietes, ad procurandum commode blanda illinitione sua liberum pulmonum motum, impediendamque ex attritu indefinente noxiam: quamdiu nempe in viscidum non abit exhalatio illa, nec in purulentum: hoc enim facto, connecti mox filamentorum primum ope animadvertimus cum pleura pulmones, & in functione sua aliquantum turbari. Invisibilis alias ros ille digitis adeo tractari potest, quando nempe summa hieme, congelatas laminas eximere licet, pleuram inter atque pulmonem fitas, quas natare vidi, aquae immerfas: de quibus forte alio loco dicendi erit occasio.

Mediastinum anticum, quod a medio sterno descendendo unicam referre videtur laminam transparentem, quae tamen ipsa quoque facile in duas suas flatu sejungi pleuras potest, celluloso habitu suo sat amplum in altiori pectore facit loculamentum, thymo unice dicatum. Est tamen viscus hocce ipso cavulo pectorali paulo amplius, &, in junioribus certe, cum aetate enim evanescit, *) ultra thoracem adscendit, infimae

*) Penitus jam emaciatum reperi in cadaverculis trium annorum; tardius quoque exsuccum in aliis.

fimae glandulae thyroïdi in collo annexum binis tenuibus lobulis suis altioribus: maxima autem pars corporis ejus, levi manu vel cultelli ope in duo facile sejungendi, lobique inferiores, qui superioribus longe sunt ampliores, pericardio impositi, loculamento illo pectoris tertio continentur. Dicendum insuper heic est, animadvertisse me lobulum praeter consuetudinem alium, qui binis cornubus superioribus erat interpositus, sinistro tamen leviter annexus. Distinctum a reliquis vere fuisse lobulum, isthmi instar se habentem, inde maxime constabat, quod pro eorum more flatu expandi sine communicatione cum reliquis ulla potuerat, lacteusque humor exprimi.

Quartum pectoris cavum, mediastino postico limitatum, priori longius, omnem per pectoris longitudinem excurrit, cum contra prius ad sextam, rarius septimam costam, ubi in cardilaginem mox abit, subsistat; cellulosum aequè, ac dictum est de priori, pinguedine haud raro emollitum, & viam servans rectiorem; facilem ac tutum oesophago transitum concedit, asperae arteriae locum dat, aortae, venae cavae superiori, azygo venae, ductuique thoracico; glandulae quoque bronchiales in eo continentur, lymphatica vasa, ramulique sanguiferorum vasorum plures, bronchiales imprimis atque oesophagi. Vasa magna, quae cordi sunt continua, nervique thoracem penetrantes, exceptis diaphragmaticis nervis, hi enim pericardii latus utrumque legunt, intra thoracem sita, sepimenti instar considerari possunt, cujus opera utrumque mediastinorum

cavum propius terminatur, quorum anterius summo pectoris osse limitatum est, posterius vertebrarum corporibus; utrumque ope arcuatae pericardii partis.

De pleura notandum insuper: quod haud raro ultra primae costae marginem anteriorem adscendere & faccum ibi formare soleat, subclaviae venae exteriori parte & ipsa primae costae curvatura interceptum, a quo obtuse acuminata summa pulmonis pars recipitur.

Quintum haec insequitur thoracis loculamentum, a pleuris denique exclusum crassa sua membrana, pericardio nempe unice circumscriptum, cor continens, rore quoque, uti de duobus cavitatibus magnis dictum est, irrigatum; amplum, ad liberum cordi tutumque motum procurandum: Ex orientibus magnis vasis, vix digitum latum a basi cordis remotis progredi videtur principio, reliqua parte vix paulum tenuiori. Ne autem fluctuando turbarentur reliquarum cavitatum pectoris contenta, nexu denique infima parte sua firmatur, sinistrosus paulum inclinans, cum centrali parte diaphragmatis tendinosa. Et ne insuper praepediantur functiones vasorum magnorum, cum ortum dent pericardio, falces provida natura vasis, e corde exeuntibus interposuit, versus basin cordis directas, & totidem puncta fixa pericardio efficientes, inter quae commode coartari, expandique vasa possint, & meatus sanguini concedi inde & servari liberrimus.

Praecipuae falcium earum constanter adsunt: crassa inprimis illa, cavam venam & aortam intersepiens. Altera dein, aortae & pulmonali arteriae intercedens. De hac tamen

tamen dicendum, eam in recens natis canali arterioso propiorem esse, & hunc, ut truncum pulmonalis arteriae praecipuum, sejungere ab aorta videri. Tertiam natura alteri arteriae pulmonalis lateri adposuit, venam ibi pulmonalem ab arteria disjungentem. Haud tamen infrequenter illa evidens quoque est, arteriae pulmonali sinistrae atque venae ejusdem lateris intercedens; & pone finum pulmonalem alia, utramque venam dissepiciens. Nec raro minores insuper animadvertere mihi licuit duas: utramque magnae auriculae cordis dicatam: quarum una ad jmam partem ejusdem abit; altera ad summam.

Rore hanc quoque cavitatem indigere suo & illinitione, cordis motui dicatam, in aperto est: valere autem heic quoque sententiam, non tamen ita constanter, ut non saepius verum liquidum reperiatur in hac cavitare, de ventriculis cerebri mox propositam, arbitror; sint quamvis & hac de re opiniones aliae. Ubi-
cunque de lubricandis modo partibus, indefinente, vel tamen vix remittenti motu munere suo defungentibus fermo est, quales sunt abdominalia viscera, peritoneo inclusa, pulmones pleurae, udae ibidem particulae illae, quamdiu nempe optime procedunt omnia, vix esse solent conspicuae, certe in aquam non confluentes, praeter quam quod gelida hieme tenuissimam observari licet, de quo supra monui: ita quoque eandem servari in pericardii natura & functione rationem, credibile, certe probabile esset, etiamsi experientia edocti ea de re non essemus. At constat insuper, visciditate vel subru-
bente

bente colore peregrinum & morbosum quiddam, ab ulteriori corruptione vix gradu diversum prodi, quando evidens valde humor adest, & fluctuare quasi cor in aqua pericardii videmus.

Singularem his addam aquae illius observationem, quam in cadaverculo feci septem mensium: Nempe turgebat valde pericardium, aqua, lympa & muco infarctum, & propius inspecta aquae illius miscela, mucosam adeo fluctuare vidi in ea membranam, quae dimoveri a reliquo fluido facile potuit, eximi, & seorsum tractari. Magna autem erat humorum tantuli cadaverculi discrasia: nam & cavum thoracis sinistrum, universusque fere pulmo in eo contentus ichore plena fuerunt. Integer autem remansit pulmo dexter, bene constitutus: nec quidquam feri aut lymphae continebatur in cavitate dextra.

Rarum cum sit, pleurae rorem sub aquae specie detegere, cava pectoris magna occupantem, addidisse heic non nocebit observatam veram, in puellula novem mensium hydropem pectoris, ex atrophia, qua halitum amiserat, contractam. In utroque nempe cavo pectoris veram limpidam reperi aquam, aliquot cochlearia excedentem, qua pulmones quasi compressi & justo contractiores flaccidioresque facti erant.

Rariores cum sint veri polypi cordis, ac quidem putatum adhuc fuit a prosectoribus, recepti a veteribus, plus nimium polypos accusantibus, quando de mortis causa indicanda ageretur, vel ex sectionum autopsia monstranda contenderetur, veri & singularis polypi

lypi exemplum heic proponam. Aliquoties grumosum & oblongam in carnem quasi concretum reperi circa cor & vasa ejus magna sanguinem in cadaveribus, cito satis cultro non subjectis, vel viscido ex sanguine diu jam ante obitum laborantibus: de quo satis testari solebant partium connexiones, viscidarum aquarum congectiones & infarctus adeo viscerum. Interdum etiam & balsamicus adeo sanguis, optimus, mora congelari in polyposam quasi naturam potest post mortem demum: quod ex eo intelligitur, si radices non habent, sed levi manu extrahi possunt. Et tales saepius occurrere, prosectores non facile negabunt. Polypus autem noster in auricula cordis dextra haerebat, in ipso fere angulo auriculari circa principium valvulae mitralis, nempe cingulo cordis tendinoso ac valvuloso firmis radicibus annexus; ovum gallinaceum magnitudine aequans; non autem carneus erat, nec ruber, quam speciem referre veri polypi alii solent, sed steatomatis naturae accedens, durioris instar gelatinae, ac si ex pinguedinosa ac lardosa substantia conflatus esset, pallidissime luteus, membrana sua, tenui eadem cinctus, & inde quasi cysticus factus tumor. Hunc animadverti in femina XL. aliquot annorum, tabe consumpta.

IN ABDOMINE.

De diaphragmate primum heic monendum habeo: in cadavere puellae X. circiter mensium inventum non simplex foramen, venae cavae transmittendae, tendinosis fibris circumcirca munitum, sed singularem plane habitum offerens. Fibris enim vere tendinosis, quae
E
irre-

irregularium, circulo seu foramini illo roborando factorum soboles alias sunt, sepimentum aliquod efficiebatur: cujus ope, quod simplex ordinarie est foramen, sejungeretur in duo foramina, eaque non penitus verticaliter, si dorso incumbens consideraretur cadaver, nec horizontaliter divisa, sed aliquantum a sinistro latere oblique dextrorsum deorsumque directis tendinibus. Foramine anteriori, quod simul sinisterius est ac majus, venae protarum truncus, e ramis suis hepaticis mox productus recipiebatur: foramen autem alterum, vis dexterius, minus, & aliquo modo posterius, cavam venam trans mittebat: uti demum mox supra tendinosum sepimentum illud ad ipsam vel magis in ipsa auriculae porta in unam bini dicti trunci confluerent venam cavam. Similem in modum, quod facile est ad concipiendum, diversis & propriis suis foraminibus substantiam hepatis perfoderunt uterque venarum binarum truncus: heic magis paulo diffitis quam in diaphragmate, sit quamvis intercedens spatium fere nullum. A nemine cum adhuc observatum equidem legerim duplex nostrum cavae foramen, texturae comparatio cum aliis locum non habet; neque cum ordinaria tendinosarum fibrarum, quibus foramen cavae venae muniri solet, constitutione: hoc tamen reticere de fasciculis tendinosis, foramina, maxime autem illud cavam recipiens munientibus nolo: constantem in omnibus non servare illos directionem, neque ita praecise, neque tam multiplicem in modum onustum esse archetypum, in uno eademque cadavere, ac arbitrari videntur alii. Modo enim hos amare naturam vidi fasciculos, modo alios, saepius diversos, quem-

quemadmodum reliquam quoque diaphragmatis texturam tendinosam observare licet implicitam ac variabilem.

Et ne quidem in musculoſo habitu ac directione fibrarum ſervare naturam eandem plane regulam videmus. Itaque & de hiſce aberrationibus non nihil proferre heic, argumenti ſeu obſervationis affinitate jubeor. Conſtanter quidem carneo firmatur faſciculo foramen oeſophageum, utrinque uno, varium autem haud raro in modum deſinere illos vidimus: ita in puella XV. menſium dexter horum faſciculorum, decuſſando alterum infra orificium, ante comparem hunc ſuum alterius lateris incedebat, & tenuis idem, deorſum primo oblique, ſiniſtrorſum dein vergens tendinoſus ibi factus erat, poſtquam aortae hiatum ſuperaverat; & talis ante muſculoſi cruris diaphragmatis ſiniſtri partem infimam, quae mox in tendinem ſuum abit, tendinoſus pergebat, qui alias ibi terminari & communi tendini cruris ſiniſtri immiſceri ſolet. Mox deinde ante muſculum pſoam carneis augeri a diaphragmatis ſiniſtri fibris infimis intimisque (ſi immittere illi eas nolumus) inſuper animadverti, qui tandem tenui expaſſione ſua tendinoſa ſummam pſoae partem adibat, in eaque evaneſcebat intra arcum diaphragmatis tendinoſum ſiniſtrum. In utroque autem latere confuſas vidi infimas fibras diaphragmatis carneas cum carne muſculi quadrati lumborum: uti & tendinoſus limbus ille, quo infimi ac intimi diaphragmatis limites obducuntur, diſtinctus ſatis non eſſet. Neque tamen ita diſtincte limbus iſte in duos ſejunctus erat arcus, altiori uno atque interiori, exteriori altero & inferiori, quales tradere nuperrime

& Icone exprimere vidi Cel. *Roedererum*; *) neque tendines crurum (quae appendicum quoque nomine ac capitum nota sunt) aequae longos exhibuit idem cadaverculum: cum ille cruris dextri ad inferiorem usque descenderet tertiae vertebrae lumbalium partem cartilaginofam, tendo autem finiftri cruris brevior efferet & exilior, vertebam secundam modo attingens. Ceterum uterque tendo ante insertionem crassiusculus erat ac rotundus ad insertionem seu ortum potius demum expansus & latior ac tenuior factus.

Ultra quidem progrediendum efferet: ante tamen, quam deferere septum transversum possim, de arteriolis, quae cruribus ejus prospiciunt, monendum habeo: proprium adesse aliquando furculum, ex ipsa aorta prodeuntem. Duo etiam vidi, unoquoque cruri fui lateris prospicientes. A phrenicis non omnes irrorari crurum partes appendicales, notum aliunde est, sed a capsularibus saepius furculos illuc dimitti. Has autem arteriolas aorticas distinctissimas a reliquis, exilissimas haud raro quidem & tectas aortae trunco, & ideo forte a nemine, quod sciam, animadversas, vidi. Notabiles autem ideo sunt aestimandae, quia ordinario adsunt, & haud infrequenter, maxime quando unica, quae tamen ipsa tum in duas mox findi phrenicarum in morem solet, non cruribus modo diaphragmatis, sed proxime adfeto ganglio semilunali unice dicatas. Aliquando etiam

*) In Programmate, animadversiones de arcubus tendineis musculorum originibus sistente, Disputationi *Steinianae* de signorum graviditatis aestimatione subjuncto, p. IX, & X.

etiam hos trunculos ganglio prospicere, simulque furculos impertiri vidi plexui mesenterico superiori. Paralleli ortus sunt cum arteriis renalibus, situ autem obscuriores. Ne autem confundantur cum trunculo alio, quem tamen rarius animadverti, distincto illo, antea ex aorta & pene lateraliter exeunte, monendum est: hunc enim cavae se tunicae immittere vidi, vicinisque partibus membranosis, in cadaverculo **XIIX.** mensum.

Eundem in modum prope arteriae mesentericae inferioris ortum dare aortam trunculos exilissimos, uti facile est ex functione eorum judicare, nervoso plexui mesenterico inferiori proprios, vicinam tunicam cellulosa simul irrigantes. Tenuissimae sunt omnes, uretericis arteriis simillimae.

Variare quam saepissime & multiplicem in modum vasa renalia, capsularia, atque spermatica, notissimum est iis etiam prosectoribus, qui vix solent animum ludenti naturae advertere. Aliorum observationibus unam heic addere, spermaticae arteriae singularem animus est: quae novi speciminis insuper loco esse potest, ordinem non servari a natura ita praecisum in orientibus ac dirigentibus vasis, sed multis modis scopum attingere posse illam suum, contra quam putant quidam physiologorum, qui systematibus nimium indulgent, in iisque placere sibi videntur. Hoc in genere ipsius magni *Boerhaavii* sententia est, quando constantissima lege naturae sub renalibus spermaticas oriri asseverat arterias: *) innuens insuper, rem magni forte

E 3 moment

*) Institution. medicar, §. 641. & in eum praefect, academ,

momenti latere in constituto illo mechanismo posse, ac si diversae esset indolis sanguis, inferius paulum vel altius ex amplo aortae rivo dimissus. Mihi certe in puero X. dierum, praeter arteriolas alias, hoc insuper singulare offerebatur: quod arteria phrenica dextra, vix paulo altior dimitteretur ex aorta ipsis emulgentibus, mox infra caeliacam, infraque mesentericam superiorem, (sinistra de more ex aorta prodibat, capsulae simul prospiciens) in duos prope ortum ramos fissa. Minor horum capsulam atrabilariam ex parte adibat, indeque trans renem, in quo fulcum cum socia vena relinquebat, deorsum ferebatur, ad inguen atque testiculum sui lateris delatus, veramque arteriam spermaticam efficiens. Cum alter rami, seu trunculus, sursum mox ad viscus suum, diaphragma properaret, totus illi insumtus, praeter exiles furculos, in via capsulae concessos.

Non autem sanguifera modo vasa, renum multiplices admittere variationes & veros naturae lusus, constat, sed & de pelvi renali, ureterumque habitu plures exstant observationes. De utroque horum aliquid dixisse non nocebit, aliaque subjungi huc pertinentia. Amplam, nempe, longam nimis, simplicem tamen exhibuit mihi puella recens nata pelvim renalem, exitu e rene dextro duplici instructam: unus e medio rene exibat ureter, alter ex infimo, suam tamen directionem servabant uterque, & distincti bini incedebant, usque ante immissionem in vesicam, ubi demum in unum confluebant communem urinae ductum,

Dupli-

Duplicem dein femina XXXII. annorum & pelvim habuit, & ureterem in rene sinistro duplicem: alter horum e summo fere rene exhibat, alter ex infimo, prominente ad ureterum ortum pelvium utraque. Isthmus nempe aderat renalis, *) cujus ope in duas pelves ren erat sejunctus, crassulus, eminens & utrique pelvi intercedens. Ceterum, uti dictum est de prioribus ureteribus, ita & hi quoque distincti & sejuncti incedentes, vix demum ante vesicam urinariam in unum confluebant.

Sed viria quoque alere has partes prae visceribus aliis sua, in junioribus etiam cadaverculis observabilia, sedulae produnt inspectiones. Illa, quae habitus visceris & vasorum admittere scimus discrimina animadverti promiscue solent in utroque latere. Morbis contra vexari renem sinistrum longe saepius prae dextro, exemplis indicatur haud raris. Et suum huc conferre renalium vasorum situm atque directionem, extra dubitationem positum videtur: siquidem longe saepius premi venam emulgentem sinistram, sicque turbari sanguinis reditum, renemque eundem pluribus vitiis contrahendis esse obnoxium, facile inde intelligatur. Ita in puero sex hebdomadam viscida materie infarctam reperi pelvim renis sinistri, in qua tamen medium inter turbulentum mucum verum sabulum facile erat distinguere.

In

*) Non qualem delineavi in theatro anat. Göttingensi (volupe mihi semper erit eam appellare meae qualiscunque eruditionis anatomicae officinam) ejus ministerio in unum confluebant renum uterque. Icone expressum vide in Ill. Halleri foetus bicipitis descriptione fig. IX.

In puella quindecim hebdomadam ureter renis sinistri praeter morem distentus erat, & urina plenus; & ipsa quoque pelvis renalis justo amplior. Ultra inquirens in causam, infimum ureterem muco turgidum vidi, cujus tenacitate ureter a penetrandis vesicae tunicis praecluderetur, adeo ut tota exoneratio renis sui interciperetur.

His subjungenda quae singularia, huc quidem spectantia, morbosa eadem obtulit cadaver feminae triginta annorum. Ren dexter magnus valdopere erat, sinister vero pinguedine, qua multum scatebat abdomen universon, obtectus, exilissimus, vix carneus, flaccidus, crassa intus pelvi cinctus. Calculi in hac continebantur exiles, (quos seruo) aurei coloris, plus duodecim. Maximus horum, oblongus idem, nucis avellanae magnitudinem fere aequans, ad medium jam descendit ureterem, ubi ad vasa in margine pelvis osseae pervenerit iliaca. Ad hunc usque locum distentus valde erat ureter e rene egrediens, reliquo autem decursu suo nihil praeternaturale habuit. Sed invitati similitudine vitii calculos quoque huc vocabimus, quos bilis loco felleam vesiculam occupasse in eodem cadavere vidimus, numero undecim, nucis itidem avellanae magnitudine, & his minores. Coloris hi erant ex nigro viridescens, leves valde, fundum tamen petentes aquae mox immixti: quum primum vero ficci paulum redditi fuerint, aquae innatabant, seu magis supernatabant; facile inflammabiles, flammam candelae admoti concipientes.

Juvat & hoc adjicere: ne nimium irritentur ureteres a vitiis adhuc dictis, proprio his prospicere va-
forum

forum apparatu natura visa est, ampliori adeo, quam simplex functio ac nutritio eorum exigeret. Lubricatione enim continua indigent, ne ab acrimonia urinae, aut visciditate adeo, nec a calculis subinde irritentur nimium canales membranosi, distensionis capaces, diametrum tamen per omnem decursum non aequalem fervantes, sed amplioribus hinc inde intervallis gaudentes. Plurimis ideo arteriis, quas vel aortae ipsius vel iliacaе soboles esse vidi, vel ab hypogastrica, vel a spermatica dimissas, *) irrigantur ureteres, & venulis quoque: quas modo emulgentis rivulos esse animadverti, modo spermaticae. Non vero eodem numero furculorum in unoquoque cadavere, adsint quamvis constantissime aliquot horum, perreptari ureteres observatur: in aliis cum sint pauciores trunculi, in aliis plures. At vero hoc notatu dignum in hoc mechanismo mihi quidem videtur: quod eodem ex vasculorum aparato veros hinc inde plexus, duos aut plures in decursu singuli ureteris a rene ad vesicam usque productos animadverti, haud dissimiles glandulosis iis, quoad judicare ex aspectu licet, quibus gaudere solet intestinum Ileum, iisque distingui a reliquis intestinis;

nec

*) Spermaticae soboles & Iliacae vidit quoque Winslow. exposit. anatom. Tr. des art. §. 221. & 229. Ex aorta prodeuntem observasse se ait Baglivius Diff. VIII. oper. p. 615. Ab emulgenti furculos (quos poros dicit) ad ureterem secedere obscure innuit, & semel modo anno 1532. observatos laudat Nic. Massa lib. Introductor. p. 32 b. Fusc autem & optime de arteriis uretericis egit & figuris rem illustravit Ill. Hallerus icon. anat. fasc. VIII. p. 39. fasc. VI. p. 60. & 61. & in commentar. in Boerhav. Vol. III. p. 31. & 229.

nec forte a ministerio lubricandarum urinae (quod iliaca faecibus praestant) viarum recedentes.

Haec lectoribus, si qui forte erunt, sufficere possunt: quid auditoribus praestandum sumserim D. b. I. per instans semestre aestivum indicere magis urget.

Cautam manuductionem ad chirurgiam practica, in quantum illam tractare in cathedra licet, publice tradam in Auditorio Carolino, praeunte *Goblii* compendio; & si quid supererit temporis, ossium structurae demonstrandae dicabo, amplo satis praeparatorum omnium aetatum apparatu, ex hoc eodem loco nato adjutus, quo, lubens inserviens auditoribus, ac munere meo defungens, exornavi & auxi publicam arcam nostram anatomicam. Privatim physiologiam ex me audiendi cupidis, clinicam medicinam, obstetriciam artem, aliamve salutaris artis partem non deero: sed tempus lubens dabo, quantum aegrotorum curandorum officium permittet. Per hiemem deinde, si Deus dederit, ad consuetos redibo labores anatomicos: ubi & praeparationibus adesse non licebit modo, in quibus omnis versatur dexteritatis anatomicae cardo, auditoribus meis, sed officiose & humaniter ad eam rem invitatos volo. In ampla cadaverum silva sollicitus inprimis ero de situ partium monstrando, viscerum praecipue; & absolvendis uno tenore, & continuo quasi ductu, nisi tempestas aut cadaverum natura aliter jusserit, cursibus myologico, angiologico, & reliquis, augere doctrina, instruere arte, qui serio proficere volent, studebo.

Dab. Cassellis a. d. 3. Maji 1760.

* * * * *